

torum alter, qui ex Gentilismo, vel Iudaismo egressi, cives ac membra Ecclesie Christi fieri cupiunt.

72. De posterioris huius ordinis baptismo, omnibus temporibus concors fuit sententia, ex adultis non esse ad usum baptismi admittendos, nisi prius in coetu catechumenorum versatos aliquandiu, ut fidei Christiane articulis probe perceptis, ejus professionem publicè edere possint.

73. Hinc disparitas in ritu baptizandi infantes & adultos oritur: In hos enim quia sæpius hypocrisis, fraus & dolus cadit: ideò & institutio, & professio fidei Christiane publica praeceat necessum est: Illi verò, Infantes scilicet, quippe doli & hypocrisis omnis expertes, sine conditione aliquâ ad baptismum admituntur: neque ei quicquam aliud, quàm invocatio nominis divini præmittitur.

74. Cæterum de infantum baptismo lis & controversia haud levis partim cum Anabaptistis, Infantibus baptismum prorsus negantibus: partim cum Sacramentarijs, infantibus Regenerationis donum ex Baptismo conferri, inficiantibus, nobis intercedit.

75. Misso nunc posteriore hoc hæreticorum grege, cuius refutationem sequens questio quarta expediet: priori illi Anabaptistico furori iniquè opponimus ipsam Christi Servatoris auctoritatem, jubentis baptizare omnes gentes: cuius

univer-

Argumen-
ta confir-
mantia pæ-
dobaptis-
mum.